



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XI. De Constitutionibus Apostolorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XI.

D E

Constitutionibus Apostolorum.

AB ipsis Christianæ Religionis incunabulis, cœpit inimicus homo seminare zizania inter triticum, quando suorum ministrorum operâ non solum veræ atque purissimæ Christi doctrinæ & Apostolorum traditionibus immiscuit dogmata falsa, ut Apostolus Paulus *Act. cap. 20.* post suum discessum futurum prædixerat: sed insuper in confirmationem falsitatis ementita Scripta sub Sanctissimorum hominum nomine evulgando credentibus imposuit. Quo factum ut incauti suppositicia pro genuinis, falsa pro veris, adulterina pro legitimis, Apocrypha pro authenticis quandoque reciperent, suisque posteris bona malæ fide traderent. Licet verò temporis successu huic pernicioso malo vigilantissimi Ecclesiæ Proceres providè obviare molirentur; & hujusmodi zizania hinc inde averruncarent: nequaquam tamen libri omnes ita in disquisitionem vocati & examinati fuerunt; qui remanerent aliqui, de quibus posterioribus sæculis, aut prudens dubium, aut vehemens suspicio formari poterat, num illorum, quorum nomina præferunt, genuini factus censeferi debeant. Hos inter à quibusdam recensentur Libri octo Constitutionum Apostolica-

rum, Beato Clemente I. Pontifice Romano Authore, quæ aliàs etiam doctrina Apostolica, Diatyposis, id est institutio, informatio; Diataxis, vel præscripta nominantur: de quibus dubium formatur, non quidem an sint ab Apostolis conscriptæ (hoc quippe nemo unquam præterdit.) Sed an doctrina in iisdem Libris contenta, ab Apostolis sit tradita, atque ab ipso Clemente excepta, & litteris consignata. Ita quidem sentiunt non pauci viri graves & eruditi, quibus adnumerandi erunt Petrus Crabbius Belga, Franciscanus Theologus in *Collect. Concil.* Joannes Carolus Bovius Episcopus Ostimensis qui hos libros Scholiis etiam à se illustratos Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus, & Sedis Apostolicæ in Sacro Tridentino Concilio Legatis nuncupavit; atque veluti exemplum obtulit, ad cujus similitudinem eam, quam formandam susceperunt figuram, fingere & expolire possent. Franciscus Turrianus Soc. Jesu has constitutiones interpretatus fuit, ac operosè defendit; admittit Genebrardus, Jacobus Gaultierius suis tabulis Chronologicis inseruit brevem Apologiam pro libris Clementis; Richardus Bristol Anglus in *Duplicat. advers. Fulconem cap. ult.* scribit ipsum librum Spiritu

rum Apostolico plenissimum esse, & indubitatum opus Clementis; creditque Copus *Dial. 3. cap. 5.* Summo Dei beneficio contigisse, ut Clementis Diatexis, multis Sæculis reconditæ, ad reprimendam Sæctariorum insolentiam, in lucem prodierint. Authorum citatorum fundamenta sunt potissimum ea.

I. Quandoquidem ex Sacris Litteris certum est, quod Apostoli immediatè à Christo Domino acceperint potestatem, quæ ad gubernationem Ecclesiæ, à se fundatæ, & ad reliquam instituti operis super superstructionem absolvendam, uterentur: hi, ut divinum cultum uniformiter constituerent, atque Ecclesiasticas Leges, disciplinæque stabilirent; post Magistri ascensionem in cælos fidelium cœtui in Ordines distributo, singulis Ordinibus officia, ministeria, & propriam vivendi normam dederunt; cæremonias, ritus, preces & Sacras observantias præscripserunt. Hæc verò omnia in Ecclesiis, in quibus prædicaverunt, Apostoli voce ac verbis tradiderunt. Unde Paulus *2. Thes. cap. 2.* eos admonet. *Tenete traditiones, quas accepistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam.* Legitur quoque *Act. 16. Paulus Silas & Timotheus, cum pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant Decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Jerosolymis.* Has proinde traditiones, quæ nullis Litterarum monumentis ab ipsis Apostolis consignatæ fuerunt; sed sermone duntaxat ad eorum discipulos pervenerunt; Clemens, ut ab iisdem acceperat, in unum collegit, atque octo libris digessit. Quod ipsum, si quis temerè negare vellet, oportebit, ut alias Apostolicas ordinationes authenticas in medium proferat.

II. Has Constitutiones Apostolicas, teste Genebrardo, tota antiquitas recepit, & in summa veneratione semper retinuit. Siquidem S. Ignatius Martyr Apostolorum dis-

cipulus, in suis, quas ad diversas Ecclesias exaravit, Epistolis hæc constitutiones est imitatus: atque non solum earundem dogmata & præcepta expressit: sed insuper ex ipsis integras sæpenumero sententias, totidem verbis exscriptas transtulit, easdem figuras, idem dicendi genus servavit, easdem dicendi rationes, in suis sententiis confirmandis, æquè ac alienis confutandis, attulit. In Epistola quidem ad Trallianos institutam Parasevis ac Dominici dñi observantiam, iisdem verbis, quibus Clemens, refert ad Passionem, Sepulturam & Resurrectionem Domini. In Epistola ad Philippenses præcipiens Quadragesimam, eandem præceptionis causam, eademque verba adducit, quæ Clemens. Idem facit in Epistolis ad Magnesios, ad Heronem, ad Mariam Matrem Christi &c. Præterea S. Athanasius in Epistola ad Ammum Monachum has Constitutiones religiosè veneratur, & dicit doctrinam Apostolicam. Eusebius *H. E. Lib. 1.* hos libros recenset inter eos, quos non omnes Ecclesiæ recipiebant, aut probabant, qui tamen nunc pro Canonicis universaliter habentur, non verò in eorum classem rejicit, qui nomine Apostolorum falsò erant conscripti. Sanctus etiam Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus *Catech. 18.* Resurrectionem mortuorum probat Phœnicis similitudine, verbis pæne iisdem, quæ leguntur *Lib. 5. Const. Apostol.* Similiter S. Epiphanius Constitutionum Apostolicarum frequenter meminit, atque ad hæreticos convincendos easdem producit. Photius quoque, solertissimus Librorum Censor, hos octo Libros propugnat. Proclus Patriarcha Constantinopolitanus, Oecumenius, Nicolaus Methonenfis &c. illos legitimos agnoverunt. Græci olim eos in maximo honore habuerunt. Abyssini, seu Ethiopes, iisdem Constitutionibus, ut verè Apostolicis, promiscuè utuntur, quemadmodum Canon Apostolicus LXXXIV.

præ-

præcipit, ut Episcopi observent. Imo præque à Clemente tradita (quod est omnium maximum) constanti, perpetuæque omnium gentium Christianorum, omniumque sæculorum consensu, sunt in Ecclesiis observata. Atque hinc quidam minime dubitant, quin olim Ecclesiæ Græcæ has Constitutiones, à Clemente conscriptas, pro legibus, manuali, Pontificali, seu rituali, ut vocant, Codice habuerint, usque usque fuerint.

Quantamcunque hi Constitutionum Libri sibi vindicent antiquitatis prærogativam; sintque ob eam venerabiles, atque ea, quæ inibi leguntur, plurima sint disciplinæ & legibus primitivæ Ecclesiæ convenientia, nec non ad pietatem præcæque virtutis studium plurimum conducentia: has tamen ab ipsis Apostolis provenisse, aut à Pontifice Romano in tot Libros fuisse Digestas negant quamplurimi horum temporum Scriptores celeberrimi Cardinales Baronius Bellarminus & Peronius. Item Archi-Episcopus Parisiensis Petrus de Marca, Gabriel Albaspinus Episcopus Aurelianensis, Jacobus Sirmundus, Christianus Lupus, Philippus Labbæus, Emanuel Schelstrate, Elias Dupin, Honoratus à S. Maria, cum cæteris plerisque, qui potissimum ducuntur his rationibus.

I. Quodsi Constitutiones, quæ dicuntur Apostolicæ, essent ab Apostolis, singulis quidem, dictatæ & à Clemente Romano exceptæ; jam citra dubium aggregandæ essent Sacræ Scripturæ. Sic Lucæ Evangelium ex aliorum relatione, qui cum JESU Christo Salvatore nostro conversati fuerant, ab Evangelista illo conscriptum, quemadmodum cap. 1. proficitur. Item acta Apostolorum, magna ex parte ipsi ab aliis narrata, fuerunt consignata, qui tamen Libri in Canone Scripturæ Sacræ reperiuntur. Atque, ut gratis detur, quod ajunt, propositum utrum Libri octo Constitutionum essent Ca-

nonicis Sacræ Scripturæ Libris adnumerandi, eo quod Clemens inibi non in persona propria loquatur, sed ipsos Apostolos introducat præcipientes, constituentes & ordinantes: quia tamen in Ecclesia nunquam quales fuerunt agniti, neque earum propugnatores tantam iis auctoritatem aliquando attributam referre ausi fuerunt, censentur hoc ipso Apocryphi, id est, quorum Auctor ignoratur, qui cum sint suppositivi, publicam fidem, quam exigunt, minime merentur. Itaque cum grano salis sumendum, quod Stapletonus *Princip. Fid. Doctrinal. Controv. 5. quæst. 2. art. 3.* scribit. *Nullam rationem ob stare, quin si præsens Ecclesia referret has Constitutiones Apostolicas, à Clemente editas, in Canonem Scripturæ Sacræ nos eas pro Canonicis admittere debeamus, aequè ac Epistolam Jacobi.* Rectius censet Cardinalis Bellarminus *Lib. de Veris Dei cap. 20.* quod si ultimus Canon Apostolorum (de hoc in *Controv. seq.*) esse Clementis, in quo inter Sacros Liberos numerantur Constitutiones Apostolicæ; non posset Ecclesia sine magna temeritate hos Libros non recipere. Cum itaque ex communi consensu Canon iste sit adulterinus, nulla exinde Constitutionibus obvenire poterit auctoritas. *Cæterum quis æquo animo feret, interrogat Baronius Annal. tom. 2. An. 102. num. 16. ut eodem Canone inter Canonicos Libros octo Libri Constitutionum Clementis & dua Epistola recensita habeantur? Quis unquam tam Græcorum, quam Latinorum Scriptorum, aut quenam ex Sacris Synodis tam in Oriente quam in Occidente antiquitus celebratis, qua texuerunt Catalogum Canonicorum Librorum, inter eos adnumerarunt Constitutiones Clementis?*

II. Libri Constitutionum longo intervallo post Apostolorum & Clementis Papatu tempora innotescere prius cœperunt. Et qui Sacrorum aliàs Librorum memoriam in-

jecerunt, horumque Syllabum adnotarunt Scriptores, octo Libros Constitutionum Apostolicarum ne verbo attigerunt. Certum quippe est, in toto illo ævo, quod ab Apostolis usque ad tempora Constantini Magni fluxit neminem Libros teos laudasse, aut pro re nata allegasse: nec Eusebius, nec Hieronymus nec alii, qui horum Catalogum de Scriptoribus Ecclesiasticis profecuti fuerunt; aliudve simile ex instituto tractarunt, tradidère ab Apostolis Constitutiones qualdam Clementi dictatas. Qui postea plurimorum Sæculorum interstitio in quadam Bibliotheca repertus est Codex, & Sæculo penultimo præcipite evulgatus, jure merito habetur suppositivus: ipsaque suppositio sese prodit, ut suo se forex vestigio; dum *Lib. 6. cap. 8.* Petrus Apostolus dogmatum absurdorum Authores dicit Cerinthum, Basilidem, Saturninum, Menandrum, qui tamen hæresiarchæ, non nisi Petro & Clemente defunctis, emerferunt: adeoque citatus scribit verè Honoratus *Reflex. tom. 1. Diff. 2. a. 1.* hodieum neminem dubitare, quin illud sit opus suppositivum.

III. Præterquam quod de Paræciis, cœmiteriis, Martyrum memoriis, oleo Baptisti, aliisque hujusmodi fiat mentio in Libris illis, quæ temporibus Apostolorum non conveniunt, plurima assistata in eis reperiuntur, & sanæ doctrinæ non satis convenientia. *Lib. 2. cap. 29.* Decimæ & primitiæ tribuuntur Episcopis: cum certum sit, nullas regnantibus ethnicis fuisse Episcopis solutas. Hermannus Gigas Author est, Constantinum Mag. primò præcipisse, ut Ecclesiis decimæ solverentur, quod alii ad posteriora referunt tempora. Eodem Libro *cap. 6.* præcipiunt Matthæus & Joannes, ut sua Evangelia & acta Apostolorum legantur: & tamen exploratum habetur, Joannem post omnium Apostolorum mortem suam scripsisse Evangelium. Acta à S. Luca tunc consignata, quando plurimi eorum transie-

runt ex hac vita. *Lib. 2. cap. 16.* mandatur quatenus duo Diaconi ex utraque parte Altaris teneant stabellum, confectum ex tenuibus membranis, vel ex pavonum pennis, aut ex velo, quibus leviter abigant bestiolas, ne in poculum incidant. Eodem item Libro *cap. 39.* præcipiunt Apostoli Petrus & Paulus, ut in Festis Apostolorum & S. Stephani fideles ferias observent.

Ibidem cap. priori permittit Paulus, ut pellex infidelis, ancilla soli Domino obsequens, recipiatur; si cum aliis intemperans fuerit, rejiciatur. *Lib. 3. cap. 2.* dicitur, id, quod supra trigamiam sit, manifesta fornicatio judicatur: item ut Sabbathum pariter & Dominica dies celebrentur, mandatur. *Lib. 8. cap. 26. & seqq.* volunt Apostoli, ut Episcopi Diaconissis & Sub-Diacono manus imponant. Multæ insuper præscribuntur Orationes & Benedictionum formulæ, quæ ab Ecclesia non observantur. Quamplurima insuper alia inconvenientia, nugatoria, & à veritate aliena harum Constitutionum veritatem elevant.

Obtendit quidem Reverendissimus Bovius nihil esse in iis Libris non grave, non constans, nihilque quod viro Apostolico non sit merito tribuendum: imo Libros hocce ex coacervatis, & in unum locum collectis sacrarum litterarum partibus constare. In confirmationem adducit testimonium S. Epiphaniæ adversus hæreses Audianorum, qui negat in istis Libris à fide & veritate alienum quidpiam contineri. Sic enim ille. *Ad hoc Audiani proferunt Apostolorum Ordinationem, quæ quidem apud multos vocatur in dubium: sed tamen non est improbanda. Nihil enim habet perversum in fide atque confessione: sed neque in Ecclesiastica gubernatione & Canone.* Quam sententiam opponit Bovius Canoni Quinò-Sextæ Synodi, in quo decernitur, quod ordinationibus Apostolorum, per Clementem, jam olim ab aliis

M

quæ-

quædam adulterina, & à pietate aliena sint adjecta.

Nihilominus alii non incongruè in Bovium rejiciunt onus combinandi & objecta conciliandi cum doctrina sana & Catholica. In Scholiis quidem nonnulla pertransiit; quædam explicare conatus est. An scilicet satis, & ad suorum adversariorum plenam satisfactionem, conicere licebit ex eo, quod de indèta ab Apostolis observantia Festorum scribat, non esse incredibile Apostolos, suum exitum in Dei gloriam & fidei propagationem futurum prospicientes, voluisse, ut iis diebus fideles commemorandis eorum gloriosis certaminibus, & Christi nomini celebrando essent occupati. Huic ut fidem quis adstruat magna certè credulitatis mensura opus erit: quin alii rectius id ipsum Libris Palaphati, quos de incredibilibus scripsit, velut augmentum inserent. Ex adducto Epiphaniæ testimonio congruenter colligere fas erit, quod Bovius negat, hos Libros postea fuisse ab hæreticis depravatos. Atque omninò paradoxum videtur, quod vir sensatus tam operosè molitur ab hac depravatione eosdem vindicare, quando Lectorem provocat his verbis. *Percurrat hos Libros, qui velit, & singulas eorum sententias expendat, nihil profectò in iis inveniet, quod Christiana pietati non sit maximè consentaneum, quodque non appareat ab Evangelii fontibus manasse.* En solemnem epicritum! sic veritati vim sæpè infert opinio. Quis enim oculatus, ne dicam Monophthalmus, non satis perspicit, superius ex divitis Libris adducta ex alio fonte manasse? quorum nullum in Evangelio est reperire vestigium, & tamen inter editas à Bovio Constitutiones Apostolicas leguntur. *Cui plenè aliquid persuasum est non sinit aliam in se cognitionem, alioquin non plenè haberet persuasum.* Chrysostr. *h. mil. 12. ad Coloss.*

Constitutiones præteritè Apostolicas nequaquam à Clemente Romano compositas,

etiamsi aliquando forsitan incorruptæ extitissent, plurimorum criticorum judicio, vel inde colligi poterit, quod Græcam originem prodant. Clemens autem Romanæ linguæ, utpote vernaculâ, eas conscripserat, atque sic exarata in Occidente fuissent repetitæ. Tertio eas sæculo alicui erudito Scriptori vindicandas omnibus persuasum esse præteritè Petrus de Marca *Lib. 3. de Concordia Sacerd. cap. 2.* relinquens uberiori, aliàs à se instituendæ disputationi, an hæ Constitutiones sint eadem, quarum meminit Epiphanius. Quæ nunc circumferuntur, ante sæculum 111. non fuisse congestas apparet manifestè ex Synopsi *cap. 67. Lib. 2.* ubi Hegesippus, Tertullianus, Romanus citantur; nisi quis credat Bovio obtendens hæ Synopses postmodum fuisse appositas. Libros verò perpetua oratione ab Authore continuatos, testaturque se vidisse Codicem, in quo capita non dividebantur, sed oratio extabat minus interrupta. Ut ut sit, tam de tempore determinato, quàm de Authore certo scriptionis nil certi habetur. Philosophum fuisse Methodus non indicat, cum tamen Georgius Pachimeres, eruditus Presbyter Nicænus, censeat Clementem Pontificem Philosophiæ apprime operam dedisse, cumque esse illum Philosophum, cuius in *Lib. de Divin. Nomimb.* fit mentio; Baronio contradicente, ac Clementem, cognomento, Actium substituente, cuius Plinius junior meminit, & ad quem litteras scripsit. Alii è contra, qui Clementem Romanum octo Librorum volunt Authorem, hunc Apostolicum Philosophum à Methodo Dialectica dicunt in eorundem conscriptione studiosè abstinuisse, eo quod novisset, Christianæ institutioni, quam sibi tradendam proposuerat, non adeò bene accommodari posse.

Quæ supra dictis propugnantium argumentis insit soliditas, haud difficulter æstimabit, qui, seposito partium studio, expendet eorum solutiones. Ad

Ad Primum Respondetur. Apostoli citra dubium quædam sanciverunt observanda, quæ ad Ecclesiasticam gubernationem videbantur apta & necessaria, quæque ministrorum functiones redderent religiosiores & augustiores. Ut autem omnia honestè & secundùm Ordinem fierent, quod S. Paulus in Epistola urget: & ne quisquis pro suo ageret arbitrio, aut indecorè & leviter, seu perturbatè tractarentur Sacrosancta Mysteria, leges ac formulas præscripserunt, quas Christus eorum providentiæ reliquerat; ut etiam S. Augustinus *Epistola 118.* perhibet. Veruntamen an Constitutiones illæ, quæ nunc Apostolorum nomine circumferuntur, sint hæ ipsæ leges fidelibus per Clementem traditæ; de eo prudenter & vehementer dubitari poterit ob rationes in contrarium adductas, quodque Apostolorum temporibus illa præscripta minus convenient, adeoque argumentum illud intentum non evincit. *Neque enim sententiarum aut optimorum argumentorum inventio ipsa per se multo studio digna videtur, nisi etiam rebus, & personis ac temporibus caterisque circumstantiis conveniat* prudentissimè censet Zenophon *cap. 5. de iudicio hist. Thucydidis* Equissimum utique est virtute, eruditione & purpura eminentissimi Bonæ arbitrium *De Sacr. Eccles. Ruib.* scribentis *de iis eorumque veneranda antiquitate illi procul dubio male merentur, qui præcos mores præsentis temporis consuetudine metientes omnem veterem disciplinam ad huius ævi praxin expendant; ea persuasione decepti, quod nihil unquam ab usibus diversum fuerit, quos à Parentibus & Præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia assueverunt.* Nihilominus tamen ea, quæ ex locis citatis deprompta sunt, à primæva disciplina esse omnino aliena, aut, ob defectum objecti, impossibilia illo tempore, nemo æquis rerum estimator inficiabitur; atque ex hac mantilla magis corroborabitur, quod *Lib. 5. c. 18.*

dicatur æquinoctium fuisse tunc temporis 22^{da} die Dystri, id est, prima Martii: cum Apostolorum temporibus fuerit 25^{ta} Martii agnoscente Bovio. Quod *Lib. 6. cap. 7.* dicatur, Philippum Apostolum baptizasse Simonem Magum, qui *Act. cap. 8.* fuit Philippus Diaconus. Quod ibidem *cap. 14.* mentio fiat Jacobi Zebedæi post Concilium Hierosolymitanum viventis; & tamen ex actis citatis constat, ipsum antea capite plexum juxta Baronium anno Æræ Christianæ 44. Concilium celebratum anno 51. Quod *cap. 15.* Baptismus ab impiis collatus improbetur &c. Neque illud hic prætereundum, quod Controversia inter Victorem Pontificem Romanum & Asiaticos potuisset ex his constitutionibus decidi, quandonam Pascha celebrandum, de quo habetur *Lib. 5. cap. 18.* quod, cum factum non fuerit, eas tunc non extitisse judicandum erit.

Ad Secundum Respondetur. Juxta Paulum Julium. Accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione depellitur. *L. Qui falsam ff. ad L. Cornel. de Fals.* Interim extra ambiguum collocandum, quod cana antiquitas has ignoraverit Constitutiones; falsumque reputandum, quod prætenditur in contrarium. Veritas nunquam latet, ait Senec. *Troad.* Si in quibusdam PP. Scriptis genuinis (ex suppositiis nil probatur) textus reperitur, qui etiam in Constitutionibus legitur; ille ex his non est desumptus: sed potius his ex illis insertus. Idem esto iudicium de aliorum Patrum scriptis, quæ passim in probationem rei citari solent, & de doctrina Apostolorum seu institutionibus Apostolicis differentes intelligi debent, nequaquam de Constitutionibus: sed de iis ordinationibus, quas nobis reliquerunt per Epistolas seu traditionem. Græcorum & posteriorum aliorum hæc in parte censuræ seu opinionis & praxi, hic tantum tribuendum, quantum aliis eorum fides & authoritas, nullis suffulta rationibus, apud eruditos valere

consuevit. Dum aliqui harum Constitutionum authenticam ex Cœnone 84. Apostolorum evincere student, volunt dubia falsis substruere. Meminit quidem S. Epiphanius *heres. 70. num. 10.* Constitutionum Apostolicarum, in quibus multa reperiantur similia iis, quæ Clementi adscribuntur, quædam tamen sibi sunt è Diametro opposita; quale est illud, quod Apostoli definiunt. *Vos temporum rationes ne subducite: sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex circumcisione sunt: cum iis itaque Pascha peragite.* In Clementinis vero Constitutionibus *Lib. 5. cap. 16.* Sic legitur. *Neque amplius cum Judæis tempus celebrandi Pascha observetis.* Epiphaniæ constitutiones etiam mole à Clementinis discrepant, & præceptorum materia. Et hæc quidem censentur confectæ à quodam Ecclesiæ Hierosolymitanæ Clerico. Cùm enim *Lib. 8. cap. 10.* habeatur. *Oremus pro Episcopo nostro Jacobo, & pro Paræcis eius, item pro Episcopo nostro Clemente,* non inanis est conjecturatio, ex hac præferentia Episcopi Hierosolymitani, Scriptorem illius Ecclesiæ fuisse alamanum. Quidquid sit, plurimorum est opinio Sæculo IV.

ad finem vergente, confectas fuisse sub nomine Clementis Romani, quas compilator partim ex traditionibus quibusdam, partim ex variarum Ecclesiarum usitatis ritibus collegit. Certum videri posset, post Epiphaniæ mortem id contigisse: aut si admittatur, ut quibusdam placet, Sæculo II. hosce Libros fuisse conscriptos, negari nequit Epiphaniæ tempore jam dum corruptos. Siquidem Sanctus ille, loco citato, scribit; quod etiam si Liber Apostolicarum Constitutionum apud quosdam sit dubiæ fidei, nihil tamen in fide aut Catholica Religione depravatum reperiri. Quod Clementinis Constitutionibus, uti hodie dum feruntur, & à Bovio sunt editæ, convenire non posse, patet ex Argumento tertio, supra adducto. Sic et parte verificabitur illud Taciti *Annal. 6.*

Multa vana sub nomine celebri vulgantur.

